

13. D. Augustinus olim statuit, in Spiritum sanctum peccare eum, qui gratia in fratrem collata invidet. lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 43.

III.
Augusti-
nus.

14. Verum hæc sententia à scopo verborum Christi quàm longissimè recedit: quemadmodum ipse quoque Augustinus postea eam correxisse legitur. lib. 1. Retract. cap. 19.

15. D. Hieronymus peccatum in Spiritum sanctum fore existimat, si quis ante tribunal judicis constitutus, non solum neget Christum, sed eum etiam dicat esse Beelzebub. In Epist. ad Marcellam.

IV.
Hierony-
mus.

16. Etsi verò hæc opinio non ita procul à vero est aliena: in eo tamen deficit, quòd peccatum hoc non ultrò, spontè & voluntariè ab hominibus, sed coram tribunali judicis constitutis, si-ve vi tormentorum coactis, committi innuit.

17. Sunt alij, qui sola incredulitate peccatum hoc in Spiritum sanctum describendum esse opinati sunt.

V.

18. Etsi verò non negamus, in incredulitate perseverantes, eterno inferorum subiacere supplicio, Ioh. 3, 18. Marci 16, 16. Constat tamen, multos abiecta incredulitate, per fidem redire ad Christum, & eterna beatitudinis fieri participes: id quod vel vnicum Apostoli Pauli exemplum, evidenter demonstrat.

Que